

ibi denique, quicquid vel accipere, vel habere homini-
bus expedit, quicquid decet, quicquid oportet. Το πᾶν in
se Deus est: Το πᾶν nobis DEI verbum est. Quod au-
tem in genere de *Scriptura Canonica* dicitur, illud in
specie de *Scriptura Prophetica* jure, meritoque pariter
adhibetur. Ipse Christus hoc indicavit *Luc. XVI,*
29. Habent Moſen & Prophetas, illos audiant, illos
etiam legant. Nec aliud de *Propheta JEREMIA,*
cujus gratia nunc iſta ſcribere placuit, dicendum
erit. Nam ipſo nomine *JEREMIAS altum & ſu-*
blime quid notat, & *Scripturam, vel Prophetiam ex-*
celsam designat, in qua nihil à *veritate,* nihil à *bo-*
nitate, nihil ab *utilitate* remotum invenitur. Te-
ſtantur id *ſingula capita,* conſtantur idem *ſingulo-*
rum capitum verba & membra. *Rerum & ſenſuum*
divinam ſublimitatem verborum ſimplicitate, ſeu *fa-*
cilitate, ſic explicare voluit, ut ab omnibus intelli-
gi, cunctisque lectoribus prodeſſe valeret: Nam,
juxta *B. Hieronymum,* *Jeremias quantum in verbis*
ſimplex videtur & facilis, tantum in majeſtate ſen-
ſuum profundisſimus eſt. Neque tamen illa *ſimplici-*
tas ruſtica, vel inculta, quod perperam à quibus-
dam aſſeritur, ſed maxime *culta, vereque fructuo-*
ſa, cum ab ipſo *Spiritu S.* ſit profecta. Hic amat